

Plerogt

1774





39
1793

DE
IVRISPRVDENTIAE
ROMANAE FORTVNA

IN
ITALIA OSTRO GOTHIS, IN GALLIA ET
HISPANIA VISIGOTHIS REGNANTIBVS
NON ADEO INIQVA

PROLVSIO

QVA

LECTIONES

QVAS

IN ILLVSTRI GYMNASIO ACADEMICO
CASIMIRIANO

PER SEMESTRE

HOC HIBERNVM, PVBLICE PRIVATIMQVE
HABITVRVS EST, SOLEMNI RITV
INDICIT

IOH. HENRICVS SLEVOGT
IVRIS ET HISTORIARVM PROFESSOR PVBL.
ORDINAR. VT ET AVL. ATQVE ILLVSTRISS.
REGIM. ADVOCATVS.

COBVRGI

EX OFFICINA PRIVILEGIARIA AHLIANA.



INSTITUT FÜR
HISTORISCHES RECHT

UND VERGLEICHENDE RECHTSLEHRE

AN DER UNIVERSITÄT ZÜRICH

VERGLEICHENDE RECHTSLEHRE

UND VERFAHRENSRECHT

1870

LEHRBUCH

VON DR. RICHARD SCHWAB

VERLEGER

STROHMAYER

ZÜRICH

1870

VERLAG

STROHMAYER

ZÜRICH

1870

VERLAG

STROHMAYER

ZÜRICH

1870

VERLAG


STROHMAYER

ZÜRICH

1870





 **Quantam** Jurisprudencia Romana diuturnitatis
nacta est felicitatem, tanta quidem reliqua-
rum legum humanarum contigit nullis.
Etenim, vt taceam nunc Jus Papirianum,
i. e. Regium, ipso cum Tarquinio Superbo eliminatum, illa
sane, inde vsque a Legibus decemviralibus, seu, quo saepius
nomine laudantur, XII. Tabularum, vltra iam viginti
secula et vnum, fortuna quamuis varia, varioque vultu,
adhuc perduravit. Atque istas Juris nostri ciuillis origi-
nes, incrementa, vicissitudines et fata praelectionibus
nostris priuatim habendis commemoranda destinamus;
hoc loco pauca duntaxat, sed quae ad idem pertine-
nt argumentum, delibaturi. Perbeata profecto Legum
Romanarum fors id effecit, vt, euerso quondam, fere
i popularibus nostris, Imperio Romano, ipsos earum quae-
dam reuerentia victores ceperit. Nec enim possum, quin
de Roma, quod Horatius, Li. II. epist. I. v. 156. de Graecia,



censeam, *captam eam ferum victorem cepisse*. Idque, quantum ad Jurisprudentiam Romanam attinet, certissimum est. Qua quidem in re Germani adeo lenitatis palmam, permittendo victis, suas ut leges retinerent, Romanis praeripuerunt, quos quippe aequae mites in devictos quondam non fuisse, satis constat. Ast queritur *Horatius* eodem, quem laudavi, loco: v. 159.

*Sed in longum tamen aevum
Manserunt, hodieque manent, vestigia ruris.*

Utinam vero apud nostrates ista vestigia non in longius aevum, non in plura aeva remansissent! At enim vero, si a paucis quibusdam quinti post C. N. seculi discesseris ornamentis, eheu! quam horrida Occidentis secula, quam subito illa ingruerunt! quam diu, quam penitus, quam altis haeserunt radicibus defixa! Nox pro die erat, quanto longior, tanto etiam obscurior atque magis omnino caliginosa.

Et lunam in nimbo nox intempesta tenebat.

VIRGIL.

Sed, ut Ciceronis ad Atticum verba, *) mea faciam, *bunc quidem nubem* (alio ac Virgilii laudati modo sensu, sed et eo nobis opportuno) *transisse*, optimus quisque magnopere laetatur; illamque miram, ad unum adeo vel duos, per tota secula, redactam pluries eruditorum paucitatem, ἀναλαβητῶν contra, vel, quae legerent saltem, canerentue, ignorantium, ingentem multitudinem miratus, Deum, ut barbara auerruncet tempora, precatur. Quam

*) Li. XV. ep. 9.



vero laudem deberi Germanis supra diximus, quod, devictos, quibus legibus essent vsi, prius quam vincerentur, illis porro quoque vsi fuerint, ea vel inprimis tribuenda videtur *Theoderico*, Ostrogothorum *) in Italia, et *Alarico II.* Visigothorum in Gallia, Regibus. Quorum vterque fama in rerum tunc temporis gestarum monumentis claruit longe lateque maxima, non illa quidem eruditionis, quam, nisi literarum ipse rudis, nemo ab iis poposcerit, ast potentiae tamen, virtutisque militaris et auctoritatis, apud ceteros etiam Reges, pereximiae. Iam de *Theoderico*, ne plane illum videamur praetermittere, auctoribus *Procopio*, et *Iornande* tantum monemus, affinitates eum cum Regibus aetatis suae iunxisse compluribus. Affinem nempe habuit *Clodouaeum*, potentem illum Monarchiae Francicae statorem, cuius duxerat sororem *Andofledam*; sed et filias, *Theuticusam* quidem, *Alarico* nostro iuniori, *Amalafuntham* *Sigismundo* Burgundionum Regi; sororem autem suam, *Amalafridam*, *Tramafundo*, *Vandalorum* Regi; neptem denique ex sorore, *Amalabergam*, Regi *Thuringorum*, *Hermenfrido*, in matrimonium collocavit. Namque stabilitum esse ab eodem *Theoderico*, siue *mauis Theodorico*, Ostrogothorum in Italia regnum, *Herulorum* illo, vnà cum *Odoacro*, deleto, notius id est quam quod notissimum. Favit autem *Theodericus* Legibus Romanis, easque vsu fori iam

A 3

inue-

*) *Procopius* *Caesariensis*, *Agathias* *Scholasticus*, aliique Ostrogothos κατ' ἔξοχὴν nominant Gothos. *Agathiam* cur *Persona* verterit *Agathyum* non liquet, quum textus habeat: ἐμοὶ *Agathias*, μὲν ὄνομα - τέχνη δὲ τὰ *Romaiῶν νόμιμα*, καὶ δι' τῶν δικαστηρίων ἠγῶνες. *Scholasticus* igitur, quod et aliunde constat, dicebatur, quia erat *ICrus*.



inueteratas Romanis seruauit prudentissime, imo ipsum, quod Edictum condidit, indendidem hausit, atque barbaris suis *), Romanisque, suas vtrisque leges patrias permisit. Quae ipsa deinde consuetudo iuris adeo diuersi, vt nempe alii Teutonica, Romana alii lege vterentur, quam diutissime in Italia perseuerauit; ita quidem, vt, quo minus cuiquam fieri fraus potuerit ex ea re ipsa, quiuis, siue emeret, venderet; siue locaret, conduceret; aut alius negotii quidquam susciperet, in ipsis adeo tabulis s. documentis, eius rei causa, de qua ageretur confici solitis, palam profiteretur, vtra lege vii, et si res ita tulerit, iudicari vellet.

Igitur missum facere Theodericum possimus, nisi digna memoratu nobis viderentur duo insuper, quae Procopius adfert de hoc Rege, argumenta. Alterum ad Theoderici de literarum doctrina iudicium, alterum ad ipsius de seruanda fide opinionem, neutrum quidem ad ipsius laudes, pertinet.

Memorat Procopius **), post obitum Theoderici Regis, Gothos adiisse Amalafuntham, atque enixe ab ea petiisse, ne Atalaricum, cui Regnum, tutrice illa, obtigerat octo annos nato, porro, vti coepisset, literis instituendum vlli traderet: Theodericum tot potitum esse prouinciis, regnumque adeptum alienum, quamuis li-
teras

*) Vtitur denominatione ab Historicis Graecis et Romanis adhibita. Hos autem, quum aliquando ipsi fuissent sic quoque a Graecis nuncupati, mirum non est, deinde eodem elogio atque etiam sensu, nempe vt barbari essent, qui alio quam Romanorum sermone ac vestitu vterentur, exceptis Graecis, notauisse omnes, cuiuscunque fuerint nationis, dignitatis etc.

**) De bell. Gothic. Li. I. C. II. p. 312. edit. infra laudandae.



teras ne tantillum quidem auribus admisisset, neque passum esse unquam, Gothorum liberos doctrina litterarum impetiri, ne quidem minima. Qua nempe erant Ostrogothi corporis et animi ferocia, litteris diffidebant adeo, ut ab earum disciplina, ne quid suae ipsorum ferociae periculi esset futurum, suspiciose timerent. Quid Theodericus de fide pactorum senserit, videamus. (Fide enim erga Deum, fuit Arriana.) Ille igitur, belli societate aduersus Burgundiones cum Francis inita; in speciem, ad expeditionem parat omnia, atque adeo exercitum tandem omnino emittit. Ecce vero, exercitu vix emisso, iussi sunt duces, si, victos esse Francos, nuntiaretur, porro ne pergerent iter; sin, vicisse: ad eos properarent. Euenit, ut Franci vincerent. Igitur, nuntiata victoria, properant Gothi, et Burgundionum captas a Francis ditiones cum victoribus diuidunt, excusata scilicet viarum difficultate, atque soluta etiam mulcta, qua Theodericus, siue initio eam rethnam statim excogitauerit, siue interpretando lucrose post demum inuenerit, fide neutilquam germana, natione quamuis Germanus*), omnino Francos decepit. Quam ipsius improbitatem Procopius (in Bell. Goth. L. II. p. 342. edit. Paris. splendidiss. Corp. Scriptor. Byzantinor.) approbando, atque laudibus celebrando, suam fecit. *Eluxisse, ait, ea re magis Theodorici prudentiam, qui subditorum amisso nemine, dimidiam terrae hostilis partem auro modico sibi parauerit; verba sunt interpretis Latini,*

*) Gothos, quicquid nonnullis videatur, lingua ipsorum enunciat Germanos. Qui Anglo-Saxonice scit, hoc ex Vlfhila, Episcopi Gothici, qui IVto sec. libros sacros Gothice conuertit, sermone factis intelligit.



ni, Claudii Maltreti, euerſae nuper Societatis Ieſu, olim Presbyteri. At quaefo! mi Procopi! conueneratne pacto, vt, ſi ſciens etiam atque de industria, immo artiſtiffime, Theodericus, inſitam belli ſocietatem aliquando foret eluſurus, perinde tamen, ac ſi non eluſiſſet, in victoriae ſocietatem et fructum, pecunia modica, admitteretur? Boeotus ſit qui tale quid commiſcatur; tunc enim nihil opus erat promiſſione ſocietatis bellicae: emtio tunc fuiſſet, et quidem ſpei, non foedus, non belli ſocietas. Si, fide foederis ſalua, periculum quoque vt adiretur, non neceſſe erat, cur igitur ſimulabat Theodericus expeditionem? cur perſonam induebat ſocietatem armorum inſitari et ad periculum participandum venturi? cur denique educi iuſſit exercitum? Igitur in aprico eſt, vel ideo, quia ſimulate iuſſit exercitum educi, fidem datam Theodericum non ſeruafſe. Cur igitur, Procopi! fallaciam iſtam, ex ipſa illa, quam tu refers nobis, rei geſtae ſerie abunde manifeſtam, non improbaſti? cur extuliſti adeo laudibus? Igitur in Imperatorem Iuſtinianum, in Theodoram Auguſtam, in Tribonianum, tibi omnia permiſtiſti, hiſque quas dederas in Hiſtoria bellorum laudes, tantum non omnes in anecdotiſ tuis auferſ rurfus, cum criminationibus commutatas? in Theoderico vero fidem ab ipſo datam, nec ſeruata, laudibus efferſ atque depraedicas? Niſi eſſet Procopius ingenio, alioquin ſuauiſſimo, cultiſſimoque; vno verbo contentus, in eam rem dixiſſem: diſplicet. Aſt, quia ingenio illo ſuo abuſus, in ea ipſa re, ob quam vituperandus erat Theodericus, poſteritati eum laudat, et imitandum quaſi proponit, viſus ille

ille mihi est Procopius eo nomine, pluribus vno verbis, obiter interpellandus. Veniendum est ad Alaricum iuniorem, Visigothorum in Gallia Narbonensi, parteque Hispaniae Tarraconensis Regem, et aevo meliori, et fortuna, quam qua vsus est in bello, ipsi a Francis illato, benigniori dignissimum, de Iurisprudencia Romana praesertim meritissimum. Iam quum Galliarum quae trans Alpes ab Italia sitae sunt, Narbonensis omnium prima in ditio- nem Romanorum venerit, facile intelligitur, neque et- iam Iura Romana quoquam Galliae transalpinae, ma- turius, quam in Narbonensem, immigrasse. Vt igitur, quo tempore Athaulphus Gallia hac, cum Visigothis suis, cir- ca ann. post C. N. CCCCXIV. potiretur, Iura ibi Romana tunc vetustissimo iam vsu stetit certissimum sit. Neque vero existimandum est, Reges Visigothos, ab illa, quam Theoderico supra laudi duximus, erga deuictos humani- tate atque permissione Legum Romanarum, fuisse alie- nos, aut forte curam earum plane abiecisse. Quin potius Alaricum nostrum II^{dum} in concinnanda, iustumque ad modum redigenda Iurisprudencia Romana, tantopere re- perimus occupatum, eundemque ea sparta tam egregie etiam defunctum, vt ille, iure quodam suo, ipsi glorio- sissimo Imperatori Iustiniano, tanquam gloriae conditi Corporis Iuris Romani particeps omnino, idemque adeo praecursor, accensendus esse videatur. Quod enim Imperator Iustinianus seculo VI. facere instituit, vt Iuris Romani Corpus quoddam, ex eorum, qui eum praeces- serant, Imperatorum, atque suis etiam ipsius Constitutio- nibus, scriptisque Ictorum Romanorum efficeret, id vero

B

Ala-



Alaricus Rex, id nominis II^{dus}, XX et aliquod omnis ante iam iam per egerat. Corpus enim Iuris Alaricianum, ex Codicibus Gregoriano, Hermogeniano, atque Theodosiano, (i. e. Constitutionibus Imperatorum inde a Constantino M. vsque ad editum Codicem Theodosii iunioris collectis) nec non ex Nouellis (puta Constitutionibus, post Codicem Theodosianum, ab ipso Theodosio, Valentiniano, Marriano, Seuero sancitis,) denique ex libris Ictorum, Cati, Pauli, Ulpiani, electum, additisque interpretationibus concinnatum, atque sub Auspiciis Regiis per Anianum, anno Regni Alarici XXII. editum est. Quum igitur ex iisdem hisce fontibus, Corpus Iuris nostrum Iustinianum XXIII^{bis} annis post, demum publicatum fuerit; Imperator Iustinianus dicendus omnino est Alaricum habuisse eius rei praecursorem. Ratio inibi temporis ita constabit. Ann. p. C. N. CCCCLXXXIV. Alaricus II. successerat Eurico, Patri. Anno vero Regni sui XXII. Corpus s. Breviarium Alarici editum *) est, manu Aniani subscriptum, vnde etiam Breviarium Aniani illud allegatur quam saepissime. Annus regni Alarici nostri XXII^{dus}, sua sponte aequalis est anno post C. N. DVI^{to}. Iam Codex Iustinianus prior anno demum DXXIX^{no}. idemque repetitae praelectionis nonnisi an. DXXXIV^{to}. prodit; liquet igitur, Alaricum II. Regem Imperatori Iustiniano modum ex prope infinitis

exer-

*) Edere, hoc loco, sensu Iuris acceptum, significat, recognoscere, signoque factae recognitionis addito, publicare. Quod quidam non vidisse videntur, verum tamen esse, fidem facit ipsum Alarici Regis Commonitorium, Breviario praemissum, vbi prope finem haec: edidit atque subscripsit. edition. Cujacianae Aurel. Allobrog. MDLXXXVI. pagina, primam praecedente.

excerpenti praeiuisse, atque gloriam conditi Juris Romani
 Corporis, annis viginti tribus, immo, si a priori Codice
 Iustiniani, quem mox ipse rursus aboleuit, ad eum repetitae
 praelectionis, quo utimur, procedas, viginti et octo annis
 ante, iam praecoccupauisse. Quin fama Corporis Iuris
 Alariciani (nam et Corpus inscribitur, est enim, et Codex,
 in subscriptione, ab Aniano denominatur, quo sensu
 Codex JCrts praesertim veteribus quoque dicebatur, ut
 aliquid integri, suisque partibus absoluti insigniret) sed
 et exemplum forte, ad Orientis oras peruenerit, ante
 editum Codicem Iustiniani, saltem cuius praelectio repetita
 fuit, dubitare vix possis, tum ob multas vltro citraque
 missas literas, tum adeo Legationes, vel ipsius Impera-
 toris Iustiniani, ad Gothos, nec non ad Francos, cet.

Plura additurus eram de indole quoque, de editionibus,
 de interpretationibus, de Commentar. de vsu, cet.
 illius Breuiarii, sed omitto, ut Vobis, Ciues Casi-
 miriani, Generosissimi, Nobilissimi, Ornatissimique!
 solemni ritu lectiones meas publice priuatimque hoc
 semestri habendas (eo enim haec praelusio pertinet)
 indicam.

Quod igitur ad Iurisprudentiam attinet, quia praeterito
 semestri Personarum Ius emensi sumus, decurren-
 dum hodie nunc erit Ius Rerum, et quidem ad Ill.
 Gebaueri Ordinem Institutionum, aut, si is liber typis
 denuo exscriptus necdum profert, ad Elementa Insti-
 tutionum Heinecciana, ut sic a Ildo Libro initium fiat.
 Neque repugno si praepretur porro Struuii Iuris-
 prae-



VD 18
 prudentia Romano-Germanica. Habebuntur hae
 Recitationes publicae diebus Iov. et Ven. hor. ante
 meridiem IX.

Atque id agam, vt vbique intelligatur, genuinam Iuris-
 prudentiam, neque mera theoria, neque mera praxi,
 contineri, neque igitur alteri, prae altera, tribuenda
 esse omnia.

Historiam S. Imperii R. G. persequar, ab Imperatore Fri-
 derico II. perrecturus, ad ductum Freyeri, diebus
 iisdem Iov. et Ven. hora a meridie I.

Priuatim Historiae Iuris tradendae vacabo, selectis posi-
 tionibus vsurus, diebus Merc. et Sat. aut stilum epi-
 stolarem Italico, vel Anglico sermone exercebo cum
 illis, qui his quoque literis delectentur.

In Paedagogéo librum Geographiae Schatzianum perlu-
 strare pergam, dieb. Lunae, hor. postmeridiana I.
 Martis autem, antemeridiana IX.

Agite igitur, Cives Casimiriani optimi! et, quod facitis,
 mihi fauete; meque vestris commodis inferuendis
 nihil vnquam voluntatis, nihil curae, esse praeter-
 missurum, sed vniuersum studium meum ad vos
 delaturum, persuasum velim Vobis habeatis. Sic
 itaque valete! Scribebam Coburgi, die XI. Cal.
Novembres. cIo Ioec LXXIV.



M 656 36 2

ULB Halle


3

007 653 999



1000000000





B.I.G.

Black
3/Color
White
Magenta
Red
Yellow
Green
Cyan
Blue

Farbkarte #13

39
1793

DE
IVRISPRVDENTIAE
ROMANAE FORTVNA

IN
ITALIA OSTRO GOTHIS, IN GALLIA ET
HISPANIA VISIGOTHIS REGNANTIBVS
NON ADEO INIQVA

PROLVSIO

QVA

LECTIONES

QVAS

IN ILLVSTRI GYMNASIO ACADEMICO
CASIMIRIANO

PER SEMESTRE

HOC HIBERNVM, PVBLICE PRIVATIMQVE
HABITVRVS EST, SOLEMNI RITV
INDICIT

IOH. HENRICVS SLEVOGT
IVRIS ET HISTORIARVM PROFESSOR PVBL.
ORDINAR. VT ET AVL. ATQVE ILLVSTRIS.
REGIM. ADVOCATVS.

COBVRGI

EX OFFICINA PRIVILEGIARIA AHLIANA.

